



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 13. Antonini persecutio, aquarum inundatione, & alijs cladibus, punita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

256 Cap. IX. Aquis in pœnam uti Deum,

cum præripia venisset: *Hic tandem est illi  
veritatis defensor, & mendaciorum punitor  
fluius*, ait Dominus. Ad quæ verba atto-  
nitus seruus, pœnè ex equo lapsus est. Ve-  
rūm vbi se virésq; collegit, veniam à Do-  
mino precatus, negauit se transitūrum, eo  
quod mendacij, eo die, à se conflati con-  
scius esset: *Nam vulpem à se alibi conjectam,  
reliquis communibus vulpibus fuisse magnitu-  
dine omnino parem*. Hoc auditio, *Et hec quo-  
que aqua, inquit Dominus, est alijs commu-  
nibus aquis par, neq; solet mendaces mergere.*  
Ita mendacem, aquarum minitatione, cu-  
rauit, & ad veritatem promendam reduxit:

§. XIII.

*Antonini persecutio, aquarum inundatione, &  
alijs cladibus punita.*

Potuerunt tantum fictæ aquarum mi-  
næ? quid non poterunt veræ pœnæ, à Deo,  
per aquas infictæ? Nam qui infictas au-  
dit, metuit infligendas. Metuere autem ini-  
tium est emendationis. Cuius rei exempli  
multiplex legimus, in quarta Ecclesiæ &  
Christianorum persecutione, sub Antoni-  
no (non enim sub Marco Aurelio) conti-  
gisse. Antoninus enim non satis habuit  
proposita capitis pœna, vetuisse, ne quis  
Sibyl.

Sibyllarum versus legeret, aliósque propheticos Gentilium libros, qui multa de Christo prædixisse videbantur, adeò ut è Gentilibus non pauci Christiani fierent, ut Iustinus testatur; sed Christianos præterea, quām plurimos, Crescentis hæretici instigatione, morti addixit; & quidem anthropophagiæ priùs, aliorūmque horribilium Gnosticis familiarium criminum, per impudentissimam calumniam, accusatos. Quām grauiter eiusmodi atrocitate offendetur vindex malorum Devs, edocuit, non solum Tiberis inundatione, sed alijs quoque varijs ærumnis, quas immisit; fame; circi ruina; terræ motu complures Rhodiortum, & Asiæ vrbes subuertente; trecentis & quadraginta insulis, aut domibus, Romæ combustis; Narbonensi ciuitate concremata, atque alijs calamitatibus vrbi & orbi inuectis. Quibus ita omnes conterriti sunt, & ipse adeò Imperator commotus est, vt expresso Rescripto, ad eundem 15. Imperij annum, quo hæc cœnerunt, dato, persecutioni finem imponeare coactus sit. Ita aquarum, ignium, terraque incommodis, sapientissimus mundi Moderator peccantes multat & emendat;

Iustin.

Apolog.

ad Anto-

nin. Eu-

seb. An.

153. Ba-

ron. Ans.

150.

Iulius

Capito-

lin. in

Antoni-

no.

Vide Eu-

seb. li. 4.

hist. c. 12.

R de

258 Cap. X. Maritimi, & seculi mores,

Amos. 5. de ipsis malis bonus. Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terre. Dominus nomen est eius.

C A P V T X.

Deum, ut aquarum terrarumque Dominum, potestatem, justitiam, prouidentiamque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosæ naufragio, & saeculi marisq. similitudine declaratur.

§. I.

Absolutissimum Dei in omnes res dominium.

 **V**oniam autem Dominus nomen est eius, habet & hinc causam aquis habenas stringendi, vel lassandi, ut dominium suum manifestet. Si enim dominium est jus gubernandi vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu sibi subiecta, itaque deuincta, ut possit de ea, non ex commissione alterius, sed propria auctoritate, sine cuiusquam injuria, disponere; profectò, cum Deus sit Dominus universorum, nullam injuriam faciet ulli, per maria, nauiganti, si ventos immittat nos à tergo spirantes; sed procellis & tempestibus

Leonard.

Less. de

Iust. ca. 3.

dub. i.